

Petrus de Vinea

*Ep. V 102 (Consueta benignitate
recepit excellentia nostra...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 102 (Consueta benignitate
recepit excellentia nostra...)*

1247

Respondet capitaneo, et commendat eum de processu facto per eum et instruit, qualiter sit processurus.

1. Consueta benignitate recepit excellentia nostra litteras per te nostro culmini destinatas, et ipsarum continentiam uidimus diligenter. 2. Super eo sane, quod scripsisti, te propter quaedam diuersimode intellecta de statu ciuitatis Taurini, quae tibi uidebantur obliqua, cum magna militum et peditum comitiua personaliter ad terram ipsam gressus tuos cum festinantia direxisse; et ibidem hinc inde diligenter exquisitis et caute, quae ad cautelam seruitiorum nostrorum exquirenda pensasti, quosdam, qui magis uidebantur esse suspecti, per personas capi faciens, et ipsos facias cum diligentia custodiri, tuum exinde studium et industriam euidentem, quae circa nostrae celsitudinis augmentum et in hiis et etiam in aliis te apponere plene cognoscimus, non immerito commendamus. 3. Verum, cum tam propter nostrorum rebellium depressionem, ad quam efficacius inferendam te studiosum fore credimus et attentum, quam propter nostrorum fidelium salutarem defensionem, milites tuae iurisdictioni dudum impositos equis et armis uelimus esse munitos, ita quod propter defectum equorum et armorum seruitia nostra non remaneant imperfecta, deuotioni tuae precipiendo mandamus, quatenus sic instanter procures et facias, quod omnes tuae iurisdictioni subiecti, qui equos tenere debent et arma, sint, ut conuenit, sine mora qualibet preparati ad nostrum seruitium tecum laudabiliter processuri. 4. Super aliis, quae scripsisti, celsitudo nostra prouidere curabit, prout honori nostro uiderimus expedire. 5. Tu autem in hiis et aliis seruitiis nostris, et maxime circa custodiam ciuitatis Taurini, taliter peruigil et

studiosus intendas, quod ipsa operum patens efficacia in excellentiae nostrae oculis te iuxta solitum representet laudabilem.